

## Decisionum Aurearum Lib. I.

3 sed vsque septuagies septies. † Hoc etiã  
 secundam tabulam, post spirituale nau- 6  
 fragium, Sancti Patres aptè nuncupa-  
 rūt, teste Hieronymo ad Pammachium,  
 & Oceanum, c. secunda, de pœn. dist. 1.  
 [Et est metaphorica locutio. hanc expo-  
 nit Med. C. de pœn. quæst. 1. Sed aptius  
 metaphoram exponit S. Tho. vt mare  
 solum cœseat mundus post peccatum  
 Adæ, quem omnes intrantes nauim ba-  
 ptisimi ascendunt, quæ ob id integra di-  
 citur, quòd per ipsum omnia peccata,  
 quo ad culpam, & pœnam, simpliciter  
 condonantur. c. non ex quò, de consec.  
 distin. 4. atque adeo homines per ipsum  
 in summa innocentia nauigant: Qua  
 vtique nauis per peccatũ mortale, quòd  
 naufragium est, effracta, restat pœnitentia:  
 quare pœnitentia non dicitur secunda  
 tabula respectu primæ tabulæ, 4  
 sed respectu saluæ nauis. † vbi medita-  
 te pensandum est pœnitentium pericu-  
 lum, eorum præsertim, qui cum passio-  
 nibus colluctantur. Vt enim homini  
 nauiganti si oborta tempestate, & con-  
 cutientibus fluctibus nauis frangitur,  
 hoc vnicum remedium superest, scilicet  
 tabulas nauis fractæ arripere, & eisdem  
 rimari, & inniti, vt saluari possit. Vnde  
 calamitatem prospectantes hanc, & vi-  
 dentes fluctuum insania tabulis affixos  
 hinc inde agitari, & nunc vndarum ag-  
 geribus submergi, nunc verò emergi,  
 miseris clamoribus animant, ut spem  
 eorum salutis concipiant. In hunc mo-  
 dum profecto eiusmodi pœnitentes timere  
 sibi maximè debent, nisi Deo manus  
 porrigenti per firmissimum emendationis  
 propositum se se mæcipare sum-  
 ma ope nitantur. ita Sotus in 4. senten-  
 d. 14. q. 1. art. 6. ]  
 5 Institutum † autem est hoc sacramen-  
 tum tũc demum, cum à mortuis Chris-  
 tus Dominus excitatus insufflauit in  
 discipulos suos, inquiens: Accipite spi-  
 ritum sanctum, quorũ remiseritis pec-  
 cata, remittuntur eis, & quorum reti-  
 neritis, reteta sunt, vt habetur in Con-  
 cil. Trid. sess. 14. c. 1. Quibus verbis hu-

ius sacramenti materia, & forma, quæ  
 nam sit, apertè exprimitur. † Est autem  
 materia duplex, remota, & propinqua.  
 Remota sunt peccata, ea tamen non vt  
 amplectenda, sed vt quàm maximè de-  
 testanda. Sicut enim ligna materiam ef-  
 se dicimus ignis, à quo absumuntur: ita  
 peccata, quæ pœnitentiæ sacramentò de-  
 lentur, eius materiã asseueramus. Pro-  
 pinqua verò actus sunt pœnitētis: nem-  
 pe contritio, confessio, & satisfactio:  
 qui quidem, quoniam in pœnitente ad  
 sacramenti integritatem, ac ad plenam,  
 perfectamq; peccatorum remissionem  
 ex Dei omnipotentis institutione coopti  
 latiuè requiruntur, ob id maximè pœni-  
 tentiæ partes dicuntur, iuxta illud Tri-  
 dent. Sino. sess. 14. cap. 3. Harum autem  
 partium concursus tunc demum inter-  
 uenit, cum quis iusto dolore primum  
 concepto de admissis sceleribus, sumo-  
 que proposito, deinde nedum cauendi  
 in posterum, verum etiam pro illis per  
 ieiunia, elemosynas, orationes, aliaque  
 piæ deuotionis opera satisfaciendi, sacer-  
 doti, Dei ministro, ritè confitetur. Quæ  
 quidem confessio his partibus exorna-  
 ta, signum est visibile sacræ rei, id est in-  
 visibilis gratiæ, qua sic confessio peccata  
 dimittuntur. † Forma autem sunt ver-  
 ba ipsa, quæ Confessarius profert, in-  
 quiens: Ego te absoluo, ex verbis Chris-  
 sti collecta, Matth. 18. Quodcunque sol-  
 ueris super terram, erit solutum & in  
 cælis. 7

8 In † pœnitentem sic itaque absolu-  
 tum hæc spiritualia conferuntur bona,  
 quòd Dei, à quo se auerterat, in gratiam  
 redit, quòdque cōscientiæ serenitatem,  
 & pacem cum ingenti interno gaudio,  
 interdum quàm primũ assequitur, nec  
 non & alia multa, quæ numerantur in  
 d. c. 3. quæ res sunt, & huius sacramen-  
 ti effectus. Hæc de pœnitentiæ sacra-  
 mento breuiter dixisse sufficiat. Cæte-  
 ra verò in tractatus progressu diffusius,  
 Deo fauente, explicabimus. & primum  
 omnium de contritione, quæ est prima  
 pars ipsius pœnitentiæ.